Viro Summe Reverendo Cel.mo q.
IAC. WILHELMO FEUERLINO
I. M. Gesnerus S. P. D.

Vehementer mihi gratum fecisti, Vir Summe Reverende, cum copiose
adeo me edocuisti de ea re quam scire vehementer avebam.
Metuebam enim, ne quid forte inscius atq. imprudens commisissem,
de quo iure irasci mihi Vir Cel.mus posset. Iam onere me et scrupulo
levatum sentio, qui facile patiar aliorum δυσκολίας et morosita
modo ipse officiū mihi conscius sim. Rectorem enim Magnificum
cum maxime esse virum, ignorabam nulla mea culpa: Excellentissi-
mi titulo abstinui lubens, ne indicare viderer, quid mihi tribui ve-
lim; quem semper illa scholastica Excellentia male habuit, quod eam
irrisioni esse aulicis bellicisque Excellentiis noverim, et aliquoties
audierim id ipsum salse ridentes, adhibitis etiam proverbiis contumeli-
osis, si Professor Professorem ita Excellentiaret, agnoscis verbum
elegans, et elegantiis scholasticis dignum. Quae cum ita sint, nunquam
equidem dubito sermone vel scripto torrentem sequi, et tralaticium
hunc honorem habere hominibus: at idem quoties ad publice ali
scribo, ac exteris in primis permenturum, aut posteris adeo, ab
ab illis phaleris lubens abstineo ——— . Quod est de dissens
potuit modestius agi, aut in τὸν Μάζαρα honorificentiu

124 v

Sed relinquamus hominem atrae bili suae, et accusationibus tristibus, quae neminem magis quam ipsum laedunt, et amemus inter nos atque officiis honestissimum certamen certemus. Credo eadem mente esse candidissimum Carbonarium nostrum —

Habes ex Stobaei eclogis physicis descripta loca omnia, nisi Fabricianus index fallit, in quibus Parmenidis fil. mentio. Animadversiunculas adieci rubrica notabiles, non quo eas usui vobis esse posse sperarem: sed ut intelligeres, ὦ τιμιώτατε, me hoc egisse, ut quam emendatissima haberes Stobaei de Parmenide excerpta, et si quid parum peccatum sit, non studium mihi, sed alia omnia, defuisse.

Persuasit Wetstenius, ut relictae ab Hemsterhusio editioni Luciani manum admovere decreverim, et tum versionem emendare, tum notis quibusdam ea quae dubia aut difficilia sunt illustrare promiserim. Si quando, id quod agitur serio, typographum et bibliopolium apud nos Belgicum convaluerit, de Stobaeo et Simplicio videbimus. De Gessnerio autem vellem Fritschio.

Bene vale, Vir Summe Reverende, Fautor optime, et uti per etiam Collegis tuis Venerabilibus Bertholdo ac Bayero commendatissimus porro sim, pro tua in me benevolentia elaborem iterumque. valete Capita carissima et rem gerite

Scr. a.d. VIIII Sept. pridie eius diei quo tuas acceperam.

à Monsieur
Monsieur Feuerlein, Docteur
& Professeur en Theologie
à
Altorf